



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Iosephina Lvcernensis**

**Reiß, Jacob  
Tschan, Jacob**

**Constantiae, 1658**

3. Sine fomite concupiscentiae natus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9773**

LVCERNENSIS.

ELOGIUM III.

IOSEPH

Sine fomite Concupiscentiæ natus.

**N**on est utique necesse, vt Auctores tibi semper omnes affirmantes exhibeam. Sicut ergo in militari acie, ita in hoc Scholasticò certamine alij alijs substituentur. Stant nunc pro IOSEPHO Gratianus l. 5. tit. 1. fol. 414. Salmeron tom. 2. tract. 29. Canisius l. 2. de Virg. c. 13. Carthag. l. 18. Hom. vlt. §. 1. & Gerson in Sermon. de Nat. B. V. Confid. 3.

Horum autem Rationes aut reipsa sunt, aut esse possunt sequentes. 1. Fomes concupiscentiæ res est admodum fæda, & indigna Patre Filij Dei, & consequenter ipso hoc Filiò. Ergo prudenter statui in IOSEPHO non potest. Vbi Consequencia manifesta est, quia sicut *gloria filiorum patres eorum*, Prov. 17. v. 6. ita vicissim, dedecus. Anecedens quoque ex SS. Litteris satis aperte colligitur. Fomes enim concupiscentiæ dicitur in 2. dist. 30. *tyrannus*; à Basilio, *innatus Dæmon omnia suadens*; à Chrysoft. *Lerna serpens multiceps*, in 1. Petri 2. v. 11. *carnale desiderium aduersus animam militans*; ad Rom. 7. *Lex peccati, quæ est in membris nostris*; imò & *habitans in nobis*, instar radicis, *peccatum*; atque etiam ad Rom. 6. *regnans peccatum*, quoad inclinationem, *in nostro mortali corpore*. Cuiusmodi rem, esse in primis fædam, indignamque quis neget? Si enim

B

talis



talis est fomes ignis terreni, quia disponit ad combustionem, quanto magis talis erit ignis infernalis fomes. Atqui fomes peccati fomes est infernalis ignis, hoc est peccati mortalis, quod hoc igne punitur. Si ergo Filius Dei præsumi non potest, permissurus adhærere patri suo fomitem terreni ignis, quomodo ignis infernalis ac peccati fomitem eadem adhærere patiatur?

2. Traduci allata Ratio etiam ad **MARIAM IOSEPHI** coniugem potest. Vti enim huius & aliarum matrum proprium est, obseruare ignem, ne quâ ex fomite foras emicet cum periculo domus, ita huius Deum parientis Sanctissimæ Matris, multo est proprium magis, illum alterum sibi ac filio suo molestissimum fomitem maturè extinguere; idque de facto alijs Sanctis, ijs maxime qui ad familiam Christi propius accessere liberalissime præstitit.

Sed hoc ulterius non vrgeo, quia offert sese peculiaris necessitas virginei Matrimonij, ad quod propter præuisam Christi Incarnationem non solum **MARIA**, sed etiam **IOSEPH**, ab æterno, & ante omnem creaturam, prædestinatus est. Inter est nempe amborum istorum coniugum, vt sese inuicem Virgineæ ament, aspiciant & procurent, itemque ne aliò oculos manus animùmque inclinent. Hoc autem quàm difficile est, in eo, qui fomite accenditur? Vt enim nil dicam de ipsâ **MARIA** Virgine, quam Salazar in lib. de immacul. Conc. c. 28. §. 2. cum Vasq. Suar. Valent. Barradiô &  
Canla



Canisio, propterea à fomite liberat, dic, obsecro, an non in hac triginta annorum commoratione magnam parere impudicitiae ignem potuit fomes omnibus ac singulis IOSEPHI membris innatus? At ego tamen de Virgineâ coniuge nil dico, quæ, ut alibi ostendam, cuicumque alteri puritatem se dignam afflare potuit. Solum æstimo plus nimio fragiles intuentium oculos, etiam perfectæ castitati aduersantes, in occasionibus innumeris, per quas penetrare se virtus non nisi homine major contra innatum hunc hostem potest.

3. Suadet etiam hanc à fomite immunitatem ingens IOSEPHI cum MARIA Coniuge sua necessitudo. Utque enim talem *Virum* ipse Deus eidem tradidit, qualem suo exemplo dari voluit in Naturæ innocentis Lege. At Gen. 2. v. 18. Deus inquit, *faciamus Adæ adiutorium simile sibi.* Dum ergo IOSEPHVM MARIÆ tradidit Deus, voluit hunc esse *adiutorium simile eidem.* At hoc quæ factum sit cogitari non potest, nisi in IOSEPHO quoque fomes, vel extinctus, vel saltem repressus sit. Verisimè ergo dicitur, IOSEPHVM sine fomite natum fuisse.

## ELOGIVM IV.

## IOSEPH

Nomini suo apprimè conformis.

**N**on solum hominibus, sed etiam Deo, magna inest nominum imponendorum cura, quam ipse etiam persæpe per Angelos pro-

B 1

didit.